

CIMELIA

Qu

4954

kat.komp



4954

CIMELIA

S. W. 402

Cim. Qu. 4954

libl. Jod.

Tab. 4. D. in 4to. No. 77.

STANISLAI SOCOLOVII

QVÆSTOR,

Siue

De parsimonia atq; frugalitate.

*Ad Martinum Lesnovolscium,
Castellanum Podlachie.*



CRACOVIAE,

In Officina LAZARI: Anno Domini

1758
8 9.

M. IOANNES FOXIVS.

*Profusos damnans opibus bene consulit uti,
Ingenio similis, magne Luculle, tuo.*

M. ANDREAS SCHOENEVS.

*Frugalioreis vis tuos
Esse, quia quod desit vides.
Non Lechiæ desunt opes,
Sola ars fruendi deficit.*

*Memorij S. Crucis in caluo monte S. Crucis Ord. S. Bened.
Class. 4. D. in 4^{to} N.º 77.*

AD MARTINVM
LESNOVOLSCIVM,

Castellanum Podlachiaë, virum illustrem,

NO Nignomus, Martine Lesnovolsci, Philo-
sophiam à Platone animi medicinam dici,
eiusq; omnibus morbis, vel obsistere, vel eos peni-
tus auferre. Sed nec illud quidem tibi obscurum
est; ut singulos homines, ita & gentes atque Res-
pub. vniuersas suis morbis non carere, atque v-
namquamque aliquo proprio & peculiari. Docent
hoc præclare apud Liuium Rhodiorum legati: Tam
ciuitatum, quam singulorum hominum mores sunt,
inquiunt: gentes quoque aliæ incundæ, aliæ au-
daces, quædam timidæ, in vinum, & uenerem
proniores sunt aliæ. Atheniensium populum, fa-
ma est, celerem, & supra vires audacem esse ad
conandum: Lacedæmoniorum cunctatorem, &
vix in ea, quibus fudit, ingredientem. Non nega-
uerim, totam Asiæ regionem inaniora parere inge-
nia, & nostrorum tumidiorem sermonem. Et illi
quidem hæc de suis. Gentis autem nostræ quasi po-
pulare vitium est, profusio quædam ac prodigalitas,

nulla ratione suscepta. Qui morbus, etsi prima facie ac fronte, non ita turpis aut exitiosus esse, imò etiam aliquid splendoris ac magnificentiae habere videatur: si tamen penitiùs rem inspicias, maximè lethalis atque perniciosus est; quod plus re ipsa experimur, quàm vt verbis explicari debeat. Rectè etenim dicebat Aristoteles, dissipationem patrimoniorum, sui ipsius interitum esse; propterea quòd patrimonio ac facultatibus uiuitur. Et queruntur quidem de ista calamitate omnes: omnibus ea grauis & molesta est; medicam tamen manum adhibet nemo. Quod cum viderem, aliquid ex eo philosophiae iatrio, pro hac mea afflictu valetudine, hoc tædiofissimo contagionis tempore, de hac re afferendum esse putavi. In quo, quantum præstiterim, iudicabunt cæteri: prodesse certè cupio. Tuum autem, hunc qualemcumq; nostrum laborem, esse volui; idq; merito tuo. Tecum enim sæpè hac de re inter cætera illis nostris, si non splendidissimis, iucundissimis tamen temporibus, quibus te præsentis huic fortunæ parabas, differebamus: quorum gustum, nondum te amisisse, ex superioribus tuis amantissimis ad me literis cognoui. Neque enim ex eo genere hominum es, qui similes sunt illis pueris, qui, ubi primùm à lacte remoti fuerint, omnem suarum nutricum curam ab-

iciunt

*iiciunt. Sed neque illorum, qui statim ac limen
 aulae & fori attigerint, vixq; scholae pulverem ex-
 cusserint, legem sibi & necessitatem impositam esse pu-
 tant; ut literis detrahant, illisq; perpetuum bellum
 indicant, earumq; osores & inimici sint. Tu quidem,
 me herculè, plus in luce hominum, quam in spatiis
 Lycæi, quotidie etiam ex libris discis, discebasq; sem-
 per, quæ aliquando ipsi cum magna voluptate nostræ
 ex te audire solebamus. Tantò autem minus cum il-
 lis aliquid commune habes, quos, vbi fortuna paulu-
 lum euexerit, primùm sui, deinde omnium obliui-
 scuntur. Probasti hæc non ita pridem abundè om-
 nia, qui inter tot tuas occupationes, & horum tem-
 porum difficultates, tanto locorum interuallo à nobis
 disiunctus, ad latus ipsius optimi Regis, necessitatum
 SOCOLOVII, præceptoris quondam tui, oblitus non
 fueris; sed illas munificè & liberaliter ex tuo suble-
 uâris. Meritò ergo te DEVS immortalis, in eo collo-
 cavit loco, in quo & virtus tua illustrior esset, & tu
 ipse pluribus commodare posses. In quo, vt te diu sal-
 uū et incolumem, cū laudis ac nominis tui splendore
 et decore, pro patriæ vtilitate, literurumq; (quæ certè
 apud nos gnatis patronis opus habent) incrementis
 conseruare velit, etiam atq; etiam vehementer opto.
 Quod equidem faciet, si te omniq; consilia tua, sub*

*alas protectionis eius, ut quidem facis, condideris:
& nunquam à præceptis & mandatis ipsius recesseris;
si ubique beneficia eius recognoueris, atque ad
laudem & gloriam nominis illius retuleris omnia.*

*Vale, & illum virum esse non puta, cui non cre-
scit animus in periculorum
accessione.*

Magnum vectigal parsimonia.

STANI-

STANISLAI SOCOLOVII⁷
QVÆSTOR.

Siue
De Parsimonia atque frugalitate.

••••

QVAESTOR & MEMPSIMOERVS.



QVÆSTOR: Probare non possum ingenium istud, institutumque tuum, huncque erga patriam sensum & affectum: tua parui pendis: nidi tui te poenitet: arridet tibi nihil: fastidis omnia: semper tibi deformis illa, obscura, pauper, sterilis, inops, parumque alma, ut ita dicam, & vitalis, patria videtur. In qualia quondam ingenia, Lacedæmone animaduerti legibus solitum esse, testis est Demosthenes, & alii multi. Boni enim ciuis, prima commendatio est, patriam amare. Amabit autem nunquam, nisi eam aliquid pulchrum & excellens esse iudicauerit. πολλὴ ἄστυς: fuit Vlysses, πολλὰ ἄστυα εἶδεν, Ithacam tamen suam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam
sapi-

sapientis. ille vir, post viginti annorum peregrinationes, Rhodo, Cypro, aliisque florentissimis insulis, immortalitati denique ipsi anteposuit. Spartam igitur quam nactus es, orna, vel excede. MEMPSIMOERVS. Ita est: nam & ipse mihi, postquam huc redii, eo nomine displicere incipio: videoque me aliis molestum esse, inimicosque sine causa parare. Sed quid faciam? quid enim tibi in eo loco placeat, quid laudes, ubi nihil debite, nihil ordine, nihil ex legibus fit? Nam ut cætera omittam, hæc ipsa paupertas, quem non moueat? publicæ opes nullæ, ærariū exhaustum, priuatorum hominum fortunæ absumptæ, hostes potentes vndiq. plurimi. ΕΧΕΜΟΒΙΑ igitur Pythagoræ mihi in posterum sequenda erit. QVAES. Erras: nam & hæc ipsa, quæ recenset mala, hominum vitia sunt potius, disciplineque corruptæ atque dissolutæ, quàm soli & patriæ. Quam quidē, si ego aut insulis fortunatis, aut Aegypti foecunditati, cuius ipse Nilus cultor & irrigator esse dicitur; aut vicinæ huic nostræ quondam felici Pannoniæ comparare vellem; nimis fortassè amans patrii soli viderer. Si verò eam esse dico, cuius neminem bonum meritò poenitere possit, huius me iudicii pudebit nunquam. Mitto portus, mitto em-

to emporia, mitto flumina, frumenti copiam, pascuorum ubertatem, quæ tot exterarum gentes alunt, equos, iumenta, victus facilitatem, mitto alia. Viri certè & vires, quæ primæ & summæ opes Reipublicæ putantur, nobis non desunt, nec defuerunt unquam. Ars fruendi bonis nostris nobis deest, illaque ipsa, cuius nomine omnes virtutes complexus est Tullius, frugalitas, quæ iam ad ultimum extremum multorum vitio mihi deducta esse videtur. MEM. Explices id obsecro, atque aliquantum in hoc loco consistas, si otium est, & si vis. QVÆS. Res difficilis & odiosa, ut vides, & quæ multos offendere potest: faciam tamen tua causa aliquid, si modò poterò; ac quid de toto hoc genere, siue usu & abusu bonorum, siue frugalitate sentiam, paucis (quoniam otii aliquid nactus sum) explicabo. Hoc est, ut primum, quò res, & ad quæ extrema deducta sit, ostendam: deinde gradus, quibus eò deueniri solet, demonstrarem: postea incommoda eius labis, referam. Minus quidem grata me dicturum video; sed me vera pro gratis loqui, etsi ingenium meum non moneret, res ipsa cogit. Tu, si quid prætermiseris, aut si quid aliud senseris, suggere. MEM. Perplacet, tu rem strenuè aggredere, nec quenquam respicias.

B

QVÆS.

QVÆS. Faciamus ergò denuò hoc tanquam totius causæ initium, cum de usu bonorum publicorum, & priuatorum dicimus, non de re parua nos disputare. Nisi enim priuata res rectè in ciuitate administretur (dicebat Plato) frustra rem communem quispiam speret robur & firmitatem aliquam in Repub. habituram: Et qui sua, inquit Imperator, per intemperantiam abliguriuerit, cum deest, aliena sequatur oportet. Itaque publica & priuata bona, veteres sapientes, nunc *ὀυσίαν*, id est, substantiam, quòd hæc quasi fundamentum vitæ sint: nunc rem, cum qua consilium simul quæri & amitti dicebat Comicus: nunc viscera, quòd his homo uiuat: nunc sanguinem, quòd his vegetetur, his alatur: nunc neruû, quòd in his tota vis & robur sit: nunc denique vitam appellare solebant. Bonis igitur Reipub. absumtis, bonis priuatorum profusis, substantiam, rem, neruos, viscera, sanguinem, vitam denique ipsam, cum ciuium ipsorum, tum vniuersæ Reipub. absumi oportet. Hæc autem res tanta, ad quod extremum, non apud nos solùm, sed planè vbique quodam modo deuoluta sit, pudet dicere. Quid enim nunc passim hominibus, tam priuatim, quàm publicè, ex sua substantia, ex suo neruo, ex suo sangu-

sanguine, ex suis visceribus, ex sua denique vita
 superest? Nihil aliud, crede mihi, præter nomi-
 na. Non dico nomina, hoc est, debita; quanquã
 etsi hoc modo dixero, nihil aberrauero. Quantũ
 enim aut publicè, aut priuatim, vbique debeat,ur,
 tu ipse rectè vides; hæcque nomina ipsa multo-
 rum malorum causa sunt; ita vt non immeritò in-
 ter cæteras salutationes Græcorum, hæc fuerit v-
 na ex præcipuis, *ὀφελῆν μηδενί*, hoc est, vt nihil cui-
 quam debeas. Sed cùm dico, nihil passim homi-
 nes præter nomina habere, id ita intelligo: Si quis
 bona Reipub. agros, rura, oppida, pertranscat,
 (quod mihi sæpè pro hoc meo munere contigit)
 & quærat, cuius sit hic ager, hoc rus, istud oppi-
 dum? responderi solet, Reipub. si ampliùs quæ-
 ras, quis ipsos fructus, quis prouentus, ex illo agro
 ex hoc oppido, accipiat? mox illum, vel illam, vix
 non & illud, accipere respondent. Et bona qui-
 dem, bona Reipub. esse, bona regalia esse; sed
 Rempub. sed Regem inde nihil capere. Atque
 hoc est nomina rerum, non res ipsas habere. Eam
 enim tu rem meam appelles volo, qua ego fruor,
 cuius fructus ad me pertinent, cuius dominus
 sum: hoc autem, quod tu dicis, ludibrium potiùs
 quàm certa possessio est. Quomodo enim id me-

um, vbi me fame nonnunquam, nisi aliunde parem ac prouideam, perire contingit? Sic igitur Republicæ, sic Reges, præter nomina, parum vel nihil habent. Sed & priuati item hominis, patritii alicuius, aut equitis, transeo rus, agrum, oppidū, cuius sit quæro; similiter respondet quis, huius vel illius esse, addit Magnificum & illustre ac vetustum aliquod ex annalibus nomen. Quis autem fructus, quis prouentus eius agri capit? ille & ille aduena. quis? mercator, vsurarius, Iudæus nonnunquam. Quid hoc aliud est, quàm non iam res, sed nomina rerum illum Magnificū habere? MEM. Idem igitur sentis, quod ipse modò dixi, nos non ditissimos esse. QVAES. Non idem certè, nam hæc, vitia hominum sunt potiùs, vt vides, quàm patriæ. Si enim rectè & publicis & priuatis bonis vteremur, abundaremus, crede mihi, omnes; nam neque nunc, Dei gratia, ita egemus, vt non facilè nos tueri possimus. Quæ vitia, si loci aut regionis essent, eadem semper manerent, corrigi non possent; hæc modica disciplinæ intentione facilè corriguntur.

MEM. Vera dicis. non pugno. Sed quibus tandem modis & vitiis eò quò dixisti deduci solet, paucis

paucis explica: idq. ordine & numero certo, quod Quæstorem decet, quò rectius eorū, quæ à te dicentur, meminisse possim. Q. Multa quidem illa, & quæ breui tempore haud ita facilè recenferi possint; ex multis tamen pauca hæc accipe.

Prima, vt omnium rerum ita & huius causa mali in educatione posita est: cuius vim alicubi peruenustè Hippocrates explicat, atque miratur. Frangitur fructiferæ arboris surculus, inseritur in filuestrem truncum, crescit in magnam arborem; nec tamen fructū aut naturam mutat, propter illā primæuam sibi à teneris insitā vim. Lycurgus hoc idem, quod dicimus, suis demonstrare volens, duos educauerat catulos, iisdem parentibus natos, quorum quidem alterum gulæ assuefecerat, alterum venationi: deinde vtrunque in concionem produxit, ollam, ac leporem proposuit; secutus vterque educationem suam, leporem alter, ollam alius. Intulit ille: Videte ciues, cūm ex eodem genere sint, quàm dissimiles ob educationem inter se euaserint; quantoque efficacior, quàm natura, ad res honestas, sit exercitatio. Ita in omnē partem in educatione est vis maxima. Hæc enim educatio, quæ dura & aspera est; quæ ab omni superflui sumtus aspectu etiam liberos arcebit; quæ

agellum suum eiusque culturam puero inculcabit; quæ industriam, quæ labores, quæ artes bonas, quæ militiam, imprimis autem parcum & frugalem victum commendabit; hæc, inquam, & priuatim & publicè, beatos ac locupletes ciues facere solet. Contrà, mollis illa, delicata, sumtuosa, iners, quæ non sua sed aliena spectare iubet; quæ spebus (vt ita dicam) vanis incautam ætatē inflat, illique imponit; quæ altero quidem oculo bona publica, altero ecclesiastica intueri iubet; hæcque iam in cunis inculcat, tu eris Episcopus, tu Præpositus, tu Abbas, tu Cancellarius, tu Referendarius, tu hic vel ille Capitaneus, tu Rex etiam aliquando, non addito, Si D E V S volet & vixerimus; illa, inquam, educatio, pestis exitiosa est. Nam plerunque & hæc incerta non assequuntur, & sua certa amittunt: suntque Aesopico cani persimiles, qui dum vmbra frusti carnis confectatur, veram carnem amisit. ignaui efficiuntur: artes rerum quærendarum negligunt. amissis autem suis, illa quibus in cunis sunt lactati, vt consequantur; quæ non faciunt fanda & nefanda? vires & valetudinem exhauriunt: in carpentis, ventos sectando, emoriuntur: hinc simoniæ, hinc rapinæ, hinc regnorū istæ nundinationes, & quæ non?

non ? mori que potiùs malunt , quàm vt domum
 nudi & egentes redeant. Vnde illi quandoque
 Asthmaticorum , Cephalicorum , Hydropico-
 rum, Chiragricorum, Podagricorum, surdorum,
 claudorù, qui curias & aulas principum sequun-
 tur greges : ex quibus si quæras , qua necessitate
 adacti eas cruces sufferant , nihil aliud responde-
 re possunt , quàm id gentiles & propinquos suos
 velle : sua se amisisse , quò redeant non habere.
 Quibus miseris illud, in hoc voluendo lapide, acci-
 dere solet, quod Sisypho accidisse, in fabulis legi-
 mus; vt cùm ad summum peruenerint, aliqua leui
 immutatione Reip. aut interregno ad ima prola-
 bantur: sic turpes inopesque simul, iuxta poëtam,
 miserabile transigunt æuum. M. Generosa
 tamen educatione opus est, ne ciuium animi lan-
 guescant & deiiciantur. Q. Generosa, sed non
 ambitiosa, sed non superba, & temeraria, & quæ
 spes pretio non emat. Faciliùs enim animi su-
 muntur , quàm ponuntur : facile se prodit, facile
 emergit, quem ipse D E V S ad aliquid magnum
 vocat. Illustris virtus diu latere non potest. M.
 Prosequere igitur vt coepisti reliqua.

Q. Alterum vitium est , vbi paupertatis &
 parsimoniae pudere ciues incipit , quem quidem
 pessimum

pessimum pudorem appellat apud Liuium Cato. Fuit siquidem quondam apud priscum seculum, magna laus ac dignitas parsimoniae & frugalitatis; ita, ut quem virum bonum appellare vellent, hunc frugi vocarent: nomineque frugalitatis, totam virtutem, teste Tullio, complecterentur. Unde illa principum familiarum à frugalitate ducta cognomina, Fabiorum, inquam, Pisonum, Lentulorum, Ciceronum, Porciorum, Vitelliorum. Magnae laudi fuit L. Quintio Cincinnato, quatuor iugerum ager, stiva illa, rastrum illi, sudor ille pulueri permixtus, vestis rustica, quam ut deponeret, priusquam dictaturam susciperet, quae tunc ei, rustico operi intento, deferrebat, agrè Senatus populisque R. impetrauit. Laudantur duo illi populi R. Consules. P. Valerius Poplicola, princeps, omnium consensu, belli pacisque artibus suo tempore, & Agrippa Menenius, vir omni vita pariter plebi ac patribus charus, interpret & arbiter concordiae civium, reductor plebis in urbem: quod adeo exiguis copiis fuerint, ut cum sumtus funeri deesset, de publico sint elati. Menenium etiam, qui illam toties accusabat, plebs extulit, sextantibus in capita collatis. Quid attinet prolixiore disputatione tantorum virorum pau-
 perta-

pertatem scrutari? Abundè enim patet, quid viui possederint, quibus mortuis lectus lugubris & rogus defuit. Regulus Attilius ex Africa Imperator literas ad Senatum populumque Rom. scripsit, villicum in agello, quem septem iugerum in Papinia habebat, mortuum esse; occasionemque nactum mercenarium, amoto inde rustico instrumento, decessisse: ideoque petere, vt sibi successor mitteretur, ne deserto agro, deesset vnde vxor atque liberi alerentur. Quæ postquam Senatus à Consulibus accepit, & agrum Attilii illico colendum locari, & alimenta coniugi eius ac liberis præberi, resque quas amiserat, redimi publicè iussit. M. Sed quæ tandem causa est, cur, aut paupertas tanti fuerit, aut parsimoniam pudorem pessimum vocet Cato? Q. Magna profectò, quam ipsemet explicat: ne simul ac pudere, quod non oportet cœperit, quod oportet non pudeat. Nam dum pudet, pauperè, aut parcum esse, quod non oportet; raptorem, vsurarium, furem, mendacem esse, non pudebit; cuius maximè pudere oportuit. Et reuera magnarum nonnunquam rerum paupertas causa & origo fuit. Nam & ipse pop. Romanus, imperii sui initia paupertati accepta refert: eoque nomine semper

Diis immortalibus, simpulo & catino fictili, dum stetit, sacrificabat. Multas virtutes, paupertas honesta comites habet. Iusta fuit in Aristide: benigna in Phocione: strenua in Epaminonda: sapiens in Socrate: diserta in Homero. Sed hæc missa faciamus.

Tertium vitium est, vbi nō paupertatis tantum & parsimonix homines pudet: sed etiā conditionis ac ordinis sui nonnunquam. Piget aratorem eum esse, qui est; mercatorem suę mercaturæ pœnitet; eodemq. modo alios. Inde q. euenit, vt nemo pro suo ordine & conditione viuat: nemo se suo metiatur modulo. Homo rusticanus in victu, amictu, familia, iumento, vult esse par & similis urbano: urbanus, equiti: eques, Patritio & Senatori: Senator, Duci ac Principi: Duces & Principes, Regibus, aut si quid maius esse potest. Sic nemo intra suos cōtinet se limites. Sacerdotibus detracta byssus sua & bistinctus hyacinthus: aurū & gemmæ suæ altaribus: Regibus sua purpura, agasombus etiam communicata. Ita homines tanquā altaria, & similitudinem templi, sine omni decore & verecundia, incedere videas; personatos putes, ne dicam scurras. Mihi mehercule nihil magis ridiculum videtur, quàm cū regio vestitu, regis

regis familiam, Regem antecedere videam; ita ut nihil sit, quod regem à suis distinguat; sæpèq. homines aberrare contingat, ut illos pro regibus honorent & salutent. Apud Persas quidem vel in fella regia confedisse capitale fuit. Rarus quondã apud nos vsus vini fuit, idq.ue stas temporibus, & inter paucos, magno fructu & emolumento vitæ longæ & sanæ mentis; nunc vulgatissimus, qui ad caulas & stabula vsque peruenit. Ita erectum est magnificentum temulentia trophæum: opes exhaustæ. Scena non cohærebit, si vna persona in alterius munus & ordinem inuadat; & vita communis cohærebit? Non equidem puto.

Quartum malum, maliq. causa, aliena pro suis venditare, atq. se corniculæ more cû alienis plumis ostentare. Nam hæc ipsa purpura, & pretiosa vestis, lanæ sunt ouiu: & hoc ipsum Carmesinum ac fericum, bombicis opus est: hæ ipsæ pelles, luporum, vulpium, tigrum, pantherarum, ac reliquarum siluestrium ferarum, indumenta sunt. Vnde illud Epicteti: Nulla aliena præstantia effeferaris animo. Si equus semet iactans diceret, sum pulcher, ferendum esset: tu verò cû insolenter gloriaris, te pulchrum equum habere, scito te bo-

no equo superbire. Quid igitur est tuum ? vsus rerum. Nos dum beluarum ornamenta confectamur, humana amissimus. Neque verò illa argumentationis ratio placet, apud Xenophontem Socrati: Mea vestis est pretiosior, quàm tua: igitur ego sum melior quàm tu. aut illa: Generosior meus equus, quàm tuus: ego te igitur generosior. Quanto melius & verius sic: Ergo mea vestis melior est quàm tua, eodem modo de equo.

Quintum vitium est, vbi περισσὰ τοῖς ἀναγκαίοις anteferuntur, hoc est, superflua iis, quæ ad vitæ vsum sunt necessaria. Vestem quis vnde compareret, non habet: de epulo tamen aut largitione aliqua cogitat. Gaudet alicubi Socrates, cum in forum venisset, aliaque alios coëmentes videret, se tot rebus opus non habere. Multa acutè dicere solebat noster MIELECIVS, Palatinus quondam Podoliæ: hic inter cætera suos monebat, vt non omnia illa quibus opus habere viderentur, sibi compararent; sed sola ea, sine quibus esse non possent. Fit enim plerunque, vt dum in ea quæ superflua sunt, facultates profundimus; ad ea quæ nobis necessaria sunt, non sufficiant. Et superflua quidem sunt infinita: necessariorum autem est certus modus.

Sextus gradus præcipitii est, vbi ad opinionem, non ad naturam viuitur. Venter tuus est fatur, & hospites : lateri benè, tergo benè, iumento benè. Quid igitur vis ? oculi non faturi : aures non plenæ, quid foris dicant, quid sentiant, quid de conuiuio opinentur, quàm magnificè sint accepti. Abi igitur, & suspende te. Atqui si ad naturam viuus, nunquam eris pauper : Si ad opinionem, nunquam eris diues, sed ne fatur quidem. Refertus ieiunabis : ebrius fities. Personata, & quæ magis visum quàm gustum delectent, obsonia, laudari nunquam. Venter enim, vt auribus, ita & oculis caret.

Septimum illud est malum, immoderatae dotes, quarum spe multi amittunt sua, familiae sumtu exhauriuntur : omnis deinde muliebris luxus. Creuerant satis ante secundum bellum Punicum populi Ro: opes : in Hispaniam vsque protulerat vires suas ; Scipionem, qui tum ibi bella gerebat, charissimum habuit : cum tamen is, elocandæ filiae virginis adultæ causa, se ex Hispania reuocari à Senatu petiisset, Senatusq. patris sibi partes desumisset, cõsilio vxoris ac propinquorum Scipionis, dote constituta, summã eius quadraginta milia æris sola, hoc est, quadringentos ferè taleros,

ex ærario erogauit, ac puellâ nuptui dedit. Tatia Cæsonis filia, maximam dotem ad virum decem millia æris attulerat: hoc est, centû nostros taleros. & Alegalia, quia cû quingentis millibus æris, hoc est, quinq. millibus huiusmodi talerorû, mariti domum intrauit, dotata cognomen inuenerat. Nunc decem millia dotis priuato homini parum est, quæ quondam Reginarum dos fuerat. Nota est illa lex Oppiana, pro qua mirum in modum certat apud Liuium Cato; qui in medio ardore Punici belli legem tulerat, ne qua mulier plus semiuncia auri haberet, neué vestimento versicolori vteretur. Massiliensium quoque frugalitatem Strabo celebrat, quòd apud eos mulierum dos maxima centum aureos nõ excederet, vestimenta quinque aureos. Genuensis mulier, si quid præter sumtuariam legem fecerit, hoc est, gemma aliqua pretiosa, auro aut serico vsa fuerit, quod apud illos in communi opere est; maritus centenis aureis mulctatur, quos ipse ex dote detrahit: hacque ratione omnis mundities & ornatus apud eas conseruatur, sumtu & luxu excluso. At nos vix non ex Aethiopa vsque.

Octaua est causa mali, externus miles, vel domesticus sumtuosus. Habent siquidem hoc vitium ex-

um externæ copix, quòd primo domesticorum animos eneruant, ac negligentiores faciunt: deinde ditissimam etiam Rempub. exhauriunt. Populus Romanus vix post trecentos annos suo militi stipendia numeravit; externo, præter socios, an aliquando fuerit vsus, non ita facillè exemplum occurrit, nisi fortè insanis illis & fatalibus ciuilibus bellis, posterioribusque temporibus. Nostri item homines, nobis primùm adolescentibus, alieno milite uti ceperunt, vel propter disciplinam remissam, vel propter externos reges. Dimidia virtus ciuium perit, accersito externo milite. Sed ne illud quidem minus malum, vbi domestico militi, nunquam satis fit, non stipendio, non donatiuo, non præda, non rapina: sumtus maximi, plusquàm pacis, deliciae superfluxæ, quæ militem effœminatam reddere, ærarium verò exhaurire solent. Scipio, vbi Numaniam, à multis imperatoribus nequicquam oppugnatam, obsessurus in castra venisset, multamque & licentiam, & superstitionem, & delicias deprehendisset; nigro circumdatus sago circuiuit, lugere se exercitus turpitudinem dicēs, vatesq. omnes, & ariolos, & lixas, & lenones statim eiecit, ac vasa omnia, præter ollam & veruculum, & calicem

licem fictilem, amandari iussit: argenteum quoque poculum, non maius duabus libris habere volentibus, ægrè permisit; lauari autem prohibuit: edixit quoque, ut stantes crudum pranderent obsonium, cœnarent autem discumbentes, panem vel pultem simpliciter, & carnem tostam aut elixam. Indeque Numantini, cum toties victricem suam fortunam mutatam mirarentur, quidam respondisse fertur: Pecora Romanorum etiam nunc eadem esse, sed mutatum pastorem.

Nonum vitiū illud est, ex quo hæc mala nascuntur; quando exotica quærentur omnia, domesticum & patrium placet nihil: non victus, non vestis, non seruus, non ensis, non equus. Mercator extremos oportet ut currat ad Indos, dum tergo & palato ciuium satis faciat. Plura ex pharmacopoliis quàm ex macello in mensis apponuntur; interdum ea, quæ neque conuiua neque conuiuator nominare possit, sæpiusque ad Plinium & Dioscoridem, Athenæum item recurrere oportet; antequam cœna intelligatur: quam ad rem docto etiam interprete opus est. Equi ex Arabia usque adducti, alimenta non norunt: noua rerum satione opus est, quam tellus, ut ignotam, non accipit. Neque pudet aliena pro suis venditare, idque

idque sine omni iudicio & delectu plerunq. Nam quæ apud eas nationes seruorum aliquando sunt alimenta ; apud istos, eo solùm nomine, quod externa sunt, pro secundis mensis bellariisq. apponuntur, & habentur. Neque item mihi placet illud quorundam Emblema : Pingi quasdam gentes nudas, cum rudi panno, ex quo quiuis vestitus esse possit. Quod etsi illud significare possit, quemuis Aristippo colorem conuenire, quod & ipsum non valdè laudabile est ; tamen & nudū pingi paupertatis signum est ; & indigestum pannum gerere, inconstantia & seruitutis. Laudandus est igitur populus Romanus, quòd externis rebus in sola scena vsus sit : in cæteris, domesticis contentus.

Decimum illud est, & magis exitiosum, vbi non tantùm res, sed & luxus ac profusiones peregrinarum gentium accersuntur : idque non vnus tantùm & alterius, sed omnium simul ; idque sine modo, nullo aut publico aut priuato commodo, atque aliquid etiam de suo additur. Ad nos quidem, quid Italicum, quid Gallicum apportatum non est ? Germanicum, & Britannicum, Vngaricum, & Moldauicum, eodem modo, & quod dolendum est, fortè & Byzantina non pauca. Ia-

Etant & ostentant alię gentes & nationes aurum,
 argentum, ebur, lectos, vestes, totamque supel-
 lectilem pretiosam: mensas & epulas alię: aleam,
 Bacchum alię: amores sumptuosos, vnguenta, &
 musicam nonnullę: multę vmbrales pugnas,
 & certamina scenica; Nos simul hęc omnia.
 Neq. sufficiebat alienū luxum ad nos transtulisse,
 nisi aliquem nostrum addidissemus. Est autem
 ille, qui in alendis non necessariis corporibus si-
 tus est: quem expressit illud vetus prouerbi-
 um *τῶματα πόλλα ἰστέφειν*. Computat Herodotus, in
 vnius hominis superflui annum victum tantum
 infumi, ac si trecentos, & quinquaginta, & ali-
 quot homines vno die alas. Tot enim dies anni
 sunt. Fabricium quidem Licinium continentię
 suę beneficio, sine pecunia perduitem fuisse, ac
 sine vsu familię abundę commendatum, testan-
 tur veteres. Cato verò superior, tribus solis ser-
 uis comitatus Hispaniam rexit, qui, vt ipse scribit,
 pellibus hœdinis pro stragulis vti solebat, eodem
 cibo & vino, quo nautę, contentus. Posterior au-
 tem Cato, non plures quàm duodecim seruos, de-
 licata iam & luxu soluta Roma, totis illis bellis ci-
 uilibus circumduxit. seruos dico, non illos do-
 minorum dominos. Et ante hos Manius Curius,
 qui ter

qui ter triumphum vna porta egit, duos solos in castris calones habuit. Ita ille vir, de Sabinis, de- que Samnitibus, de-que Pyrrho triumphator, pau- ciores seruos habuit, quàm triumphos. Nos non familiam, sed cohortes in media pace & quiete ducimus, & plerunque pretiosius vestitos, quàm nos ipsos. Siue ad Philosophum, siue (vt leuif- simè dicam) ad vxorem veniendum sit, magna comitante caterua progredimur. Quæ res, etsi vbique odiosa, tamen in Repub, libera minus fe- renda est. Nam greges isti, seruitutis cuiusdam insigne sunt, quasi aut ipse metuas, aut metui velis. Quid enim libertati magis repugnat, quàm alie- num armatum sufferre, illi de via decedere, pri- mum locum dare, fulmina bombardica, sine to- nitru metuere? Potentem, inquit, aduersarium habeo. Atqui hæc vox non est Reipub. liberæ, pugnat enim potentia cum libertate. Quàm tri- stis est Tullii querela, se inter armatos sententi- am dicere? Quales comitatus tum primùm Ro- mani habere cœperunt, vbi perierunt. Nam & fascès, & secures magistratui præferri, aliquan- do subtristius est; quid priuato homini? Rum- patur generosum pectus oportet, vbi cernit, quod magistratui non licet, cuius licere. Qui

liber est, solus, vel cum paucis incedit, (quod sæpè diximus) timet neminem. Nam de iumentis quid dicam? Mitto illorum multitudinem: vnam mulierculam, cum qua vel robustior musca auolaret, trinis bigis vehimus, in quibus sex egregii milites pro patria fortiter pugnare possent. Apud populum Romanum aliquando lege cautum fuit, ne mulieres iuncto vehiculo, in vrbe oppidoûe, aut propius mille passus, nisi sacrorum causa, veherentur. Pretium quidem equorum intolerabile est. Quid enim magis esse potest hominis stulti ac temerarii, sibi que à Deo datis bonis abutentis; quàm iumentum, quod eodem die extinguere potest, mille aureis comparare? Quod si eam Rempu. diu stare non posse, dicebat Cato, in qua piscis sit carior boue: quid de ea dices, vbi caput equi pluris censetur, quàm equitis? Hoc certè est comparari iumentis insipientibus.

Vndecimum malum est, si non ex eo, quod habent, sed ex eo quod aliquando habituri sunt, ciues viuere assuescant. Hoc autem multis modis fit: Primùm, si multorũ qui sequuntur annorum, priusquàm orientur fructus absument: cui vitio egregiè inseruere solet illa insidiosa, tam auarorũ quàm prodigorum hirudo & administra, quam

Itali Arendam vocant: deinde, vbi venturæ hæreditates, priusquàm emergant, profunduntur: postea speratæ dotes: vltimò futuræ dignitatum & sacerdotiorum spes. & ita speratis rebus viuitur. Homo parcus & frugalis ex conditis viuit: præsentibus gaudet, ac fortuitis temporibus referuat: futura expectat: colligit tanquam semper victurus; dispensat tanquam cras moriturus.

Duodecimum malum est illud, dum ciues non ex rebus ac facultatibus, sed pro rebus & fortunis suis viuunt: hoc est, non amplius fructibus & prouentibus suis contenti sunt; sed ad extremum res ipsas, & fortunas, vnà cum ossibus & cineribus maiorum suorum vendunt, vel oppignorant, ne quid aut suæ, aut maiorum suorum memoriæ ad posteritatem extet. Desperatorum ac deploratorum hoc hominum est. Nam vt illi, qui fame enecantur, vltimò consumtis omnibus carnes suas, tanquam in rabiem versi, absumunt; ita isti consumtis fructibus, fundos ipsos deuorant. Infausta proles, quæ, quod ipsi ad vsum tantùm concreditum est, perpetuò abligurit: impia in maiores, crudelis in posteros, exitiosa in seipsam. Dignissimi, è quorum dextera, ab agnatis & cognatis annulus cum signis, & imaginibus maio-

rum suorum detrahatur. Quod quondam Scipioni, superioris Africani filio ignauo propinquos fecisse, qui ei annulum, in quo caput Africani sculptum erat, è manu detraxerunt, legimus. Indignum hominem inertem nobilis familia iudicauit, qui vultum patris sui in prodiga & timida manu haberet. Nunquam hunc veneranda illa vetustas admisisset, ad sua charistia : quorum illa inuitatio :

*Innocui veniant : procul hinc procul impius esto
Frater.*

Tredecimum, vbi ciues rebus suis consumtis, aliena consecretantur. Quid rides? M. Quasi verò non videas? In promptu causa est. video iam rem ad extrema deduci. Perge igitur.

QVAE. Quartadecima causa, si iis morbis nullum remedium adhibeatur : si ægri tam graui morbo laborantes non curentur, sed suæ voluntati satisfacere permittantur. Tritum est illud populi Romani prouerbium: Ad agnatos & cognatos referri, quod morem & disciplinam gentis illius designabat. Vbi enim primò quis suis fortunis abuti coepit, vbi profusiùs illa dispensare; hic cum suis facultatibus in curam agnatorum & cognatorum à magistratu tradebatur, dum vitæ suæ
ratio-

rationem inueniret. Quod si his carebat, publicè illi tutor & curator adhibebatur, qui tantisper eum resque eius curaret, dum ad se rediret. Notæ sunt hac de re Imperatorum leges: verbis multis opus non est. Carent his remediis ætas, & tempora nostra.

Vltimum vitium, vbi authores, adiutores, & perfectores eius profusionis, non modò non puniuntur, sed etiam ditescunt, legitimorumq. minorum possessiones, ad non legitimos transferunt. Multæ hoc in loco administratorum sunt species, dum alii noua genera voluptatum ac deliciarum, alii monstrorum & vanitatum, alii dappum & temulentia comminiscuntur: sed nulli peiores, quàm illi, qui præsentem pecuniã illis quarunt, aut ipsi suppeditant, modò & ipsi ditescant, & lautis patrimoniis ac veteribus facultatibus alios exuant. Idque nonnunquam ipsi cognati & agnati faciunt, genus hominum cruce dignissimum. Quid enim est infano gladiũ dare, aut furentem soluere? Huc referuntur illæ exitiosæ arrendæ: vsuræ intolerabiles: miserorũ iuuenũ tormenta & cruces: monstrosæ obligationes. Vnde iurium inuersiones: binæ & ternæ eiusdem rei venditiones. Quæ omnia, quo tu meliore nomine nisi

ne, nisi quandam ἀλλοφραγίαν appelles, vbi homo hominem deuorat, nec artem aliam nouit, quàm alios absorbere, eorumque fortunis abuti.

Atque hæc quidem vitia sunt, quibus Resp. tam priuatim quàm publicè exhauriuntur, in grauemque & periculofam phtifim incidunt. Nam & in tabe hoc idem euenit, vt primùm membra quædam magis præcipua arefcant, ac vlcere conficiantur, postea reliquum corpus consumatur; indeque phtifin generari medici docent. Ob quæ eadem vitia, nostram Rempub. eò quò quereris deductam puto, nisi tu fortè aliquid aliud sentias. M. Ego verò non modò nihil aliud sentio, sed illud etiam addo, non hanc solùm Rempub. quæ ne tu quidem ditissimam dicis, sed locupletissimum etiam regnum his talibus vitiis exhauriri oportere: longèque aliud sentio nunc, quàm nuper sensi, Rempub. hanc scilicet inopem esse, cum satis diues esse videatur, quòd hætenus non sit tantis sumtibus exhausta, contraque tot ac tantos hostes se quotidie tueatur, quod uè hac ipsa phtifi iam olim consumta non sit. Quibus enim aliis artibus res periit Romana, quàm iis largitionum ac immensarum profusionum, & quod alieno ære pressi quidam, Repub. salua, se saluos esse
non

non posse, vt ipse testatur Cæsar, existimarunt?
 Rectè nosti, ob quam causam Curio tribunus
 pleb. & alii Cæsarem secuti sint. Aurea illa apud
 Liuium est Catonis oratio: Sæpenumero, inquit,
 audistis, diuersis duobus vitiis auaritia & luxuria
 ciuitatem laborare, quæ pestes omnia magna im-
 peria euerterunt.

Quid igitur restat, vt agamus? M. Res ipsa
 indicat. Quid enim aliud sequitur, quàm vt vbi
 morbos exposueris, remedia eorum afferas? Q.
 Atqui inueteratus morbus est, curari difficilè po-
 test. M. Tentandum tamen aliquid est; mor-
 bus hic inueteratus est, non tamen desperatus.
 Q. Ego quidem apud nos, nullum remedium
 efficacius aliud esse puto, in tam laxo & latè fuso
 populo, quàm vt ipse spontè cognoscat, quàm
 stultè, quàm ineptè, quàm ridiculè hæc faciat:
 deinde quantum aut infamiæ, aut dedecoris, aut
 incommodorum, aut exitii ea res tam priuatim
 quàm publicè ferat; vt cum pro laude infamiam,
 pro commendatione ignominiã, pro autoritate
 risum, se consequi cognouerit, à re vanissima ali-
 quando abstineat, eamque oderit perpetuò. M.
 Hoc igitur, obsecro, si potes, & quantum po-
 E tes ex-

res explica. Q. Res quidem per se suaque sponte clara est : tamen si ita placet, quid ea profusio mali, tam priuatim, quàm publicè, vt diximus, afferat, paucis expendamus. Publica quidem bona, si distrahantur, quantum in ea re insit incommodi, non tam Plato aut Aristoteles, aut aliquis ex veteribus, quàm Deus ipse docuit. Cuius lex apud Ezechielem illa est : Si dederit princeps donum alicui de filiis suis; hæreditas illius, filiorum suorum erit, possidebunt eam hæreditariè. Si autem dederit legatum de hæreditate sua, vni seruorum suorum; erit illius vsque ad annum remissionis, & reuertetur ad principem : hæreditas autem eius, filiis eius erit, & non accipiet princeps de hæreditate populi per violentiam, & de possessione eorum, sed de possessione sua hæreditatem filiis suis dabit; vt non dispergatur populus meus, vnusquisque à possessione sua. Dispensationem regionum bonorum, quæ tum hæreditaria fuerunt, lex ista docet, cuius sensus hic est : Si rex aliquot habuerit filios, & ex his vni dederit donum; ferent æquo animo alii : donum erit eius, & posteritatis suæ. Si autem dederit alicui, vel ex militibus, vel ex familiaribus suis; fruetur liberalitate regis, sed ad annum quinquagesimum,

Ezech:
46.

mum, qui Iubileus vocabatur, tantum: quo anno, alienata, ex vnaquaque tribu & familia, ad dominos suos redire oportebat; ne tribus & familiae exhaurirentur, aut inter sese confunderentur. Et legis quidem sensus hic est. Causa autem legis illa, ut non accipiat princeps de hæreditate populi per violentiam, & de possessione eorum: hoc est: non exhauriat rex facultates suas; ne ubi defuerint, alienas sequi opus habeat. Quod quidem multis modis (durum enim onus necessitas est regni, eiusque sumtus) esse poterit: vel per violentiam, qui solus modus hic ponitur, quomodo Achab inuasit vineam iusti Naboth: vel per necessitudines & affinitates, cum externis regibus, externasque mercaturas; quod de Iosaphat legimus: vel per auaras œconomias: vel per iuris proditionem, causarumque venditionem: vel per submissarios homines, priuatorum hominum fortunis insidiantes, ac ventis aurum captantes; quarum rerum sunt plura, quam velimus exempla. adde his legum, religionumque, ac priuilegiorum inuersiones: portoria atque vectigalia: frequentes census & tributa: calumnias, ac desertas & caducas hæreditates. Quod si aliquid horum rex non faciet, tum illud, quod omnium deterri-

mum est, consequi solet; vt, vbi omnia ex multitu-
 dinis manu spectare cœperit, pro rege ac magi-
 stratu assentator populi (quod de Pericle legi-
 mus) factus, omnia libidini & cupiditati eorum
 concedat: cum illisq̄ue nunc de religione, nunc
 de rebus sacris, nunc de licentia, nunc de magi-
 stratibus ac publicis honoribus licitetur; modò
 habeat vnde se, vitamq̄; suam tueri possit: qua pe-
 ste nulla nocentior, nulla exitiosior rebuspub.
 esse potest. Satisné idoneæ & sufficientes istæ
 causæ ad perdendam validissimam rempub. tibi
 videntur? M. Plus quàm vellem efficaces sunt.
 Illud tamen metuo, ne pro frugali tenacem re-
 gem facias: magnificentia enim regum est pro-
 pria; & ne illi parti iusticiæ, quam philosophi di-
 stributiua vocant, iniuriam facias. Q. Ne
 metuas: quantò plura habebit, tantò maiora &
 inter plures largiri poterit: de ipsis possessionibus
 & facultatibus agimus, non de fructibus faculta-
 tum. Illas teneat, hos largiatur: quanquam & in
 hoc genere quid excellens cuiusvis virtus & me-
 rita exposcant, videndum erit. M. Quoniam i-
 gitur de illis malis & incommodis, quæ rempu.
 sequuntur, dixisti, dic de his quæ priuatos sequi
 solent. Q. Infinita sunt, sed ex his pauca seli-
 gamus.

gamus. Primùm igitur illud est, & quod vel so-
 lùm ad deterrendos istos fufficere deberet; quòd
 id, quod volunt, non consequuntur: imò verò cõ-
 traria omnia. Quatuor autem sunt præcipua, quæ
 sibi in hac sua profusione proponunt, sibiq; com-
 parare volunt, à quibus tamen longissimè absunt.
 Primùm, vt sibi hac ratione, quandam authorita-
 tem & admirationem concilient: maiores ac au-
 gustiores videantur: fidemque sibi faciant. A quo
 quantum absint, illa in omnibus linguis infamia
 nomina, quibus hæc ingenia notari solent, abun-
 dè testari possunt. Græci ἀσώτους, hoc est, homi-
 nes perditos, ἀκολάστους, id est, effrenes, & eos qui
 castigari nequeunt, vocant. Latini perditos,
 profusos, profligatos, desperatos, dissolutos, ne
 deteriora dicam nebulones, lurcones, ventres,
 manducones, bibones, heluones, decoctores, e-
 uerfores, conturbatores macellorum, voragi-
 nes patrimoniorum, & aliis infamibus nomi-
 nibus appellant. Miserat quondam Dionysius
 Lysandri filiæ, vestem nimis sumtuosam; qua ne
 vteretur prohibuit pater, adiuncta illa causa: Tur-
pè est, inquit, in luxuria esse conspicuum. Indeq;
 euenit, vt neque testamentum, neque liberos, ne-
 que magistratum, neque depositum huic generi

*Quid mala pro
 hos regnum
 videtur*

hominum, quisquam credere velit; sed fabula & exemplum ciuitati ac scenæ sint. Non his neque talibus artibus, veteres sibi honorem & dignitatem comparabant. non Metellus: cuius administratæ prouinciæ tabulas, pop. Rom. non aspexit: non in tabulis, sed in vita Q. Metelli argumenta sincerè administratæ prouinciæ, legenda sibi reputans. non superior Africanus: ad cuius dextram osculandâ piratæ inter se conspirârant: quos cùm ille fugisset, dixisse feruntur: Non vitæ eius hostes, sed virtutis admiratores venisse, conspectum & congressum tanti viri, quasi cæleste aliquod beneficium expetentes. non Cato, magnus ille parsimoniæ & frugalitatis assertor: quæ, cùm in carcerem duceretur, vniuersus Senatus sequi non dubitauit: quo eodem præsentem, pop. Rom. nescio quid impudicum in theatro aspiceret erubuit: confessus, plus se maiestati illius tribuere, quàm sibi ipsis vniuersis. Quibus conuiujs, quibus opibus, imperijs, triumphis, hoc datum est; quod huic viro exigui patrimonij, vna paterni generis imagine claro, minimèque blandæ frontis tributum est? Deinde illud affectant, vt liberales, munifici, ac si fieri possit magnifici videantur. Consequuntur autem illa, vt à Latinis qui-

nis quidem homines nihili, vappæ, à suis autem golotæ & odardi appellentur. Nam veræ liberalitatis ac magnificentiæ illæ leges sunt; vt det quibus oportet, & quod oportet, & vnde oportet, & quantum oportet, & quando oportet. Det, inquam, non accipiat: non modò vnde non oportet, sed ne vnde oportet quidem aliquando; det autem pro facultatibus. Liberalem enim actionem, non in multitudine eorum quæ dantur, sed in habitu dantis consistere dicebat Aristoteles; vt det vltro ac libens, cum voluptate etiam, ac sine omni dolore. Liberalitatis enim duos illos fontes esse nouimus, verum iudicium, & honestam benevolentiam. Quarum legum cum isti nullam seruent; ideò liberales nullo modo nec dici, nec esse possunt. Et vt liberalitatis hæ leges sunt; ita munera illa, quæ Aristoteles, Seneca, & alii magni enumerant: templa diuûm ac heroum extrudere: donaria item offerre ac suspendere: publica ædificia erigere: quæque ad rempub. liberaliter faciunt, captos redimere: amicorum filias elocare: reipub. pace & bello opem ferre: monumenta familiæ excitare: obæratos liberare: afflictis & egentibus opitulari: gymnasia publica, tam rei militaris, quàm bonarum literarum, consti-

constituere : magna ingenia domi ac foris alere : legatos magnificè accipere : artes sumtuosas subleuare. Isti autem rebus amissis, ne fornacem quidem collapsam erigere possunt, aut fores effractas restituere. Hos igitur tu, liberales, munificos, magnificos, appellabis; qui non modò liberales non sunt, sed nullis minus licet, etiamsi velint, liberales esse, quàm illis? Vbi enim in res non necessarias & superfluas omnia profuderint; in liberalitatem quid conferant, reliquum nihil habent, nihilque minus facere possunt, quàm quod vellent. Nam frugi, tenaciq. homini, quandocunq; volet, liberalem esse licet; prodigo non item. Amicitias deinde hoc genere beneficiorum paraturos se putant, certas & fidas clientelas, fortes propugnatores, parasitos nimirum, assentatores, comedones, barathra & voragines. Atqui euenit nonnunquam, vt nullos mordaciores obtrectatores habeant, vbi ipsos deuorârint, & ad alios dominos se transfulerint, apud quos istorum reprehensione cibum emunt. Parua est obligatio mensæ: simul cum cibo & potu deperit: dapibusque consumptis frigescit. Ideò deberi sibi plerunque putant aliqui, quod earum ineptiarum spectatores fuerint: maledicunt

cunt quandoque alii, quòd nonnunquam plus, quàm par est comederint aut biberint, aliquando tempora sua necessaria & occasiones, sibi effluxisse queruntur. His scilicet talibus amicitiae foederibus, illa ipsa notissima amicorù paria conglutinata fuerant: Orestis inquam & Piladis: Thesei & Pirrithoi: Damonis & Pythiæ: & vt hæc fabulosa mittam, apud Hebræos, Dauidis & Ionathæ, apud Romanos Lælii & Scipionis. Lælius quidem de sua cum Scipione coniunctione eiusq. causis, ita: Quid enim Africanus indigebat mei? Minimè hercule: at ne ego quidem illius. Sed ego admiratione quadam virtutis eius; ille vicissim opinione fortasse nonnulla, quã de meis moribus habebat, me dilexit. Auxit beneuolentiam consuetudo. Sed quanquam utilitates multæ & magnæ consecutæ sunt, non sunt tamen ab earum spe, causæ diligendi profectæ. Prata, & arua, & pecudù greges diliguntur isto modo, quòd fructus ex eis capiuntur; hominum charitas & amicitia gratuita est. Non mensis igitur comparantur amici, aut profusione; sed virtute, prudētia, humanitate, obsequio, studio & opera, communibus præfidiis ac clientelis quæruntur: nam hæc & diutius durant, & magis profunt. Nunquam

*Amicitia
paratur*

quam enim illæ ineptæ mensæ, insaniq. apparatus, tantum amicorum parare possunt, quantum inimicitiarum pariunt iniuriæ, rapinæ, pecuniæ retentæ, eorum apud quos isti quærunt. Nam in conuiuio si quid est, illud est, vt sit sanum, benè coctum, bono sermone conditum; cætera pompæ potius & ostentationis, quæ omnibus inuisa & molesta est, quàm vsus sunt humani. Caput autem totius munificentia, illud est: Melius & facilius esse, non accipere, quàm dare. Et illud: Videndū esse, vt ea liberalitate vtamur, quæ profit amicis, noceat nemini. Pecuniarum enim translatio à iustis dominis ad alienos, non debet liberalis videri. Nihil enim liberale, quod non sit idem iustum. Quis sumtus, ac profusio est tanta, quæ cum illa humanitate ac moderatione Scipionis, conferri possit? ad quem, quartum & vigesimum annum agentem, cum inter reliquam prædam, eximiæ formæ virgo ætatis adultæ adducta fuisset, illeque & iuuenis, & cœlebs, & victor comperisset, illam illustri inter Celtiberos loco natam, nobilissimoque eius gentis Indibili desponsam; accersitis parentibus & sponso, inuiolatam tradidit; aurum quoque, quod pro redemptione puellæ, allatum erat, summæ dotis adiecit.

Qua

Qua continentia & munificentia Indibilis obligatus, Celtiberorum animos Romanis conciliando, meritis eius debitam gratiam retulit. Aut cum illa Fabii vera & sincera liberalitate, quæ munificentiâ comparari potest? cui cum captiuos ab Annibale, interposita pactione nummorû, recepisset, iiq̄ue à Senatu non præstarentur; misso in urbem filio, fundum quem vnicum possidebat, vendidit, eiusq̄ue pretium Annibali protinus numeravit. Aut cum illa itidem in hostem pietate, qui Annonis ducis Carthagiensium, Olbia oppido capto, in quo ille fortissimè dimicans occiderat, corpus è tabernaculo suo, amplo funere extulit. Hæc animos, hæc corda eripiunt.

Diuites ad extremum apparere volunt, quod quidem minimè ex omnibus consequuntur. Vt enim hominibus locupletibus, peierantibus etiam, nemo credit eos egere, aut diuites non esse; ita istis, etsi millies iurent, se abundare atque diuites esse, quos quoduis prandium egentiores facit, nemo credit, cum præsertim ipsimet creditores, mensæ illorum absideant. Ita que non modò id, quod volunt, non consequuntur, sed insuper, vt diximus, miseri & infames euadunt. Quæ cum ita sint, quis sapiens aut cordatus eam mercatu-

ram exercere velit, quam nullum quidem lucrum, iacturæ autem & naufragia perpetua sequantur? Et magna quidem ista sunt, homini hæc rectè apud se expendenti; sed illa longè maiora, quòd hac sola inani, fucata, falsaque laude, vel infamia potius, vt diximus, ingenia magna, & ad res sublimes nata, contenta, reliqua ornamenta omnia, contemnunt: ornamenta, inquam, militiæ, fori, curiæ, doctrinæ, ad quæ consequenda nati, suscepti, & instituti, erant: coci, cætarii, factores, pro ciuibus, pro patriciis facti, quorum palatum subtilius sapit quàm cor. At quantò illustriora & maiora illa præ istis? Quis igitur non iure talem deploret conditionem? aut quæ maior prodigalitas hac ipsa, non tam fortunarum quàm ingeniorum? Neque tamen hîc finem inuenit malum. Nam non modò nulla ornamenta his artibus acquirunt, verùm etiam, quæ vel à natura, vel ab industria consecuti fuerunt, penitus perdunt ac extinguunt: corporis primùm bona, dum per intemperantiam, & creditorum molestias, nunc arthretici, nunc ischiadici, nunc paralytici, nunc infani & amentes euadunt, trunci & stipites, imò fuci inutiles: qui eorum bona, qui aliquid opis reipu. afferre possent, profligata deuorant

uorant impudentia : quibus anima pro sale tantum data esse videtur : & qui ab onere corporis, tanquam equites ab equo in luto pressi, sani & vigentes, inutiles iacent. Animi deinde eodem modo bona amittunt : mitto illa minora, sensuum perspicaciam, memoriam, acumen, solertiam, literas, si quas consecuti sunt ; hæc maiora accipio, pietatem erga Deum, in patriam, maiores, posteritatem suam ; quam tanquam stupidi homines ne aspiciunt quidem, & cui nihil suum reddunt : prudentiam, item animi magnitudinem, temperantiam, iustitiam, fidem, sinceritatem, veritatem ; nam mendacissimi sint oportet. Indeque duo apud Persas censebantur esse turpissima, vt docet Herodotus, τὸ ψεύσασθαι καὶ τὸ ὀφείλαν χρεός : hoc est, mentiri, & debere : vt sit posterius hoc prioris illius causa ; quod impossibile esse videatur, eum non mentiri, qui plurima debet. Quibus ornamentis amissis, quid restet hominis, ego non video. Consequuntur deinceps eosdem illa mala, insueta paupertas, dura mendicitas, improba seruitus (seruiendum enim est, plerunque illis, qui tibi aliquando seruiebant) inhumanus creditor, obsessæ fores, matutina & vespertina custodia, importuni serui, graue iugum, & tabes crescen-

tis in dies foenoris, infamiæ, in ius quotidianæ vo-
 cationes, per tribunalia cursitationes: hinc tœdi-
 um; inde, vbi leuamen mali quæritur, desperatio,
 quam sequuntur fraudes, doli, technæ, infidiæ, im-
 posturæ, mille artes, fanda & nefanda sacrilegia,
 templorum direptiones, rapinæ, peculatus, via-
 rum obsidiones, tumultus, seditiones, cum ho-
 stibus clandestina consilia, prodiones, nundi-
 nationes, transfugia. Docuerunt hæc abundè,
 tria, quasi vno tēpore, apud nos interregna. Quæ
 causa malorū fuerit, quò res deducta fuisset, nisi
 omnipotentis dextera adfuisset, vidimus omnes.
 Concussimus orbem nostra profusione: & quæ
 inde nata est, indigētia. Sed hæc missa faciamus.
 Consequuntur deinde illa iudicia, quæstiones,
 proscriptiones, exilia, vincula, infames mortes,
 diminutiones capitum, tam singulorum quàm fa-
 miliarum, ad extremum illa sacræ scripturæ: Fi-
 unt filii eorum orphani, vxores eorum viduæ:
 nutantes transferuntur filii eorum, & mendicant,
 & eiiciuntur de habitationibus suis: foenerator
 scrutatur omnem substantiam eorū, & diripiunt
 alieni labores eorū: non est illis adiutor, nec qui
 misereatur pupillis eorum. Ferunt Augustum re-
 lata ad se magnitudine æris alieni, quā quidam
 eques

eques Romanus dum vixit, excedentem ducen-
 ties HS celauerat, culcitram eius cubicularem
 in auctione emi sibi iussisse; et præceptum mi-
 rantibus, hanc rationem reddidisse: habendâ esse
 ad somnum culcitram, in qua ille, cùm tantum
 deberet, dormire potuisset. Satisné idoneæ tibi
 videntur istæ causæ, quæ ab hoc infano morbo
 hominem sanum auocare possint, modumq. huic
 libidini statuere? M. Satis equidem. Q. Hæc q.
 igitur illa causa est, cur in omnibus rectè ordina-
 tis Rebusp. huic vitio tantum occurrebatur sem-
 per, quo nihil exitiosius aut publicè aut priuatim
 esse potest. Notum est studium & diligentia in
 hoc genere Laconum, apud quos vna veste sim-
 plici annua ciuem vestiri oportuit: ex quibus nul-
 li focus priuatus, non mensa fuit: omnes publi-
 co victu in sytitiis contenti, siue illi Reges, siue fe-
 natores, siue quicunq. alii fuere: quibus balnea
 nulla, vnguenta nulla, obsonia propemodum, præ-
 ter ius atrum & carnis aliquid, nulla: theatra, co-
 mœdias, & tragœdias non spectabant; vt neque
 feridò neq. ioco audirent quid impudicum, aut le-
 gibus aduersum: sed ne cum peregrinis quidem
 consuetudo multa; exoticum & peregrinum pla-
 nè nihil: dotes nullæ; cuius rei præclaram causâ
 primus

primus eorum legislator Lycurgus dedit, vt neq.
 propter egestatem aliquæ relinquatur innup-
 tæ, neq. propter opulentiam colantur: priuatæ
 ædes ex ligno non secto: tecta sine ferreo clauo:
 pro lectis & stratis æstate quidem iuuenes stiba-
 dibus utebantur, quas è summatibus arundinum
 componebant: hyeme autem lycophonas stiba-
 dibus admiscebant, quod aliquid caloris habere
 videbantur: funerum cura nulla, præter pu-
 niceam vestem, & oliuæ folia, in quibus omnia
 omnium cadauera reponebantur: inscriptiones
 monumentorum nullæ, nisi quis in bello cecidif-
 set. Et ideo auri quidem ingredientis, vt inquit
 Plato, vestigia multa, egredientis nulla: et ideo
 septingentis ferè annis legibus Solonis vsi, inte-
 gri manserunt: ideoq. vltimi omnium Græcorum
 seruierunt, idq. Romanis tantum; si modò iustum
 & legitimum imperium seruitus dici debeat. Qui
 iidem Romani, quantum huic malo aduersati sint,
 & restiterint; tot leges eadem de re apud eos la-
 tæ testantur. Fannia, inquam, Licinia, Aemilia,
 Antia, Iulia, Syllana: quæ non tantum suppel-
 lectilis, aut vestis, aut dotis, aut nuptiarum, aut
 iumentorum alendorum, aut conuiuiorum modum
 ponebant; sed coenarum etiam quotidianarum sum-
 tus af-

tus assignabant populo illi, qui princeps erat populorum. Quibus quam diu obtemperatum est, tam diu illis omnia paruerunt: à quibus cùm recessum est; non magis hostili ferro & igni, quàm vsuris, & ære alieno absumpti conflagrârunt. In Catone illud miratur Plutarchus, quòd iam senex post Consulatum & triumphum adeptum, nulla vnquam veste vsus sit, quæ centum denariorum, hoc est decem talerorù precium excederet. Iam & in obsoniù ipse Cato in diem triginta asses insumebat, hoc est vsu nostro Polonico, triginta solidos: Habent enim leges sumptuariæ commoditatem quandam singularem, quam egregiè explicat apud Liuium Cato: Quia quod aliqui habere non possunt; habituri, si per leges liceret, fuisse videntur. Cornelius Rufinus, duobus consulatibus & dictatura functus, quòd decem pondo vasa argentea comparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosus, in ordine Senatorum retentus non est. M. autem Antonius, L. Flaccus Censores, Duronium senatu mouerunt, quòd legem de coercendis conuiuiorum sumptibus latam, trib. plebis abrogauerat. Quid nunc Venetiis, quid Genuæ fiat, vides: quanta parsimonia & quæ opes? M. Habesné aliqua alia remedia? Q. Non desent

essent quàm plurima, sed non pro hoc nostro infirmo: possunt tamen quædam addi. Primum, si ipsi reges, magistratus, senatus, eius parsimoniam & frugalitatis, duces & authores esse voluerint. Vnde dicebat Plato, Frugalitatis exemplum, maximum esse reipub. vctigal. Ferunt Agesilaum nihil vnquam præcepisse, quod ipse prius non fecerit. Quod quidem in hoc frugalitatis genere apud nos Stephanus ille magnus, & cuius virtuti nondum par elogium inuenimus, magno ciuium profectu faciebat, & proficiebat aliquid. Sed nõ ita facile inueteratum malum curari & extirpari poterat. Regis ad exemplum, ait ille, totus componitur orbis. Nam crede mihi, tota res paruæ æmulationis est; & vt extirpetur, duce solo opus habet. Q. Catulum, Campanam, imitatum, luxuriam, primum spectantium confessum, velorum vmbraculis texisse legimus: & Pompeium ante omnes, aquæ per semitas decursu, æstiuum minuisse feruorem. Claudium Pulchrum scenam varietate colorum adumbrasse: totam argento C. Antonium: auro Petreium: ebore Q. Catulum, prætexuisse. Versatilem fecerunt, Lucius & Cinna locum, quem argentatis choragiis, P. Lentulus Spinter adornauit &c. Vides, in vna profusionis

fusionis vanitate, quanti sint profectus; idque in deterius semper, ex stulta æmulatione. Secundò, si horum insanias & naufragia, homines sapientes non laudent, non suspiciant, ac ne aspectu quidẽ suo dignos esse iudicent. Iucundè quendam audiui iocantem, tribus modis molestias humanas & miseras subleuari posse. Primùm, si homines industrii, potentes ac diuites, non ita multùm suspiciant: si viri mulieribus nimium non indulgeant: si sapientes stultos non laudent, eorumq. facta non mirentur. Hac enim ratione omnia contrauentura dicebat. Nam & potentes magis industriis opus habent, & mulieres viris, & stulti sapientibus. Vltimò, si aliquam publicam notam & infamiam hoc genus hominum referat. Locrensiū legislator, leges sumtuarias ciuibus suis præscripserat: in quibus cū muliebrem luxuriam reprimere voluisset, legem huiusmodi tulit: Mulier aurea veste non vtatur, nisi meretrix videri velit. Quam infamiam cùm omnes fugerent, abstinuere omnes. At longè grauius & seuerius P. R. qui hoc genus hominum ordine suo mouebat: deinde ad extremum, inter homines capite censos referebat. Vocabantur autem capite censi, qui neq. sacramento rogabantur, nisi publicis tumultibus

tibus, idq. perrarò: neq. in populo suffragia ferebant. Quod quidè in his, qui à principio ex pauperibus nati sunt, paulò subdurius videri possit; in illis autem, qui decoxerunt, æquissimum erat. Nam si leges omnes illos infamia aliqua notant, qui remp. ciue priuant: quanto magis puniendi illi, qui seipso & alios, nò inutiles modò, sed exitiosos & perniciosos etiam efficiunt? Sed eccum puerum, qui ad rationes audiendas nos vocat: & peropportunè. Nam & ego planè omnia dixi, quæ mihi hac de re nunc in mentem veniebant: & te iam fessum video. Hoc tamen addo, me nolle, vt hæc oratio nostra, sordidis & auaris hominibus, qui neque sibi, neque aliis profunt, & quos nullus magister meliores facere potest, patrocinari videatur:

Est inter Tanaim quiddam socerumq; Viselli.

Tuque caue, ne hæc nostra præsertim foras efferas. M. Nihil hoc ipsum moreris, nam & hæc vbique nota sunt, & illud item verissimum:

Iliacos intra muros peccatur & extra,

Vale. Vellem autem ad numerandam pecuniam

Quæstor.

53


niam potius, quàm ad rationes audiendas,
te hic puer vocasset.
Sed abi.


Modus, optima virtus.




© 1894
This book is the property of
the University of Toronto
and is loaned to you
for your use only.


THE UNIVERSITY OF TORONTO







Biblioteka Jagiellońska



stdr0022552